



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

§. LV. Amor Proximi in Patre quantus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

Amor Proximi in Patre quantus?

Verus intimusque DEI amor nunquam non comitem habet amorem Proximi : siquidem amor DEI ignis instar est, qui non quiescit unquam, nisi in se convertat omnia : nec quisquam est, quem lateat illud, quod ad amantem Discipulum Servator noster dixit : *si diligis me, pasce Agnos meos, pasce Oves meas.* Ita se res cum P. Paulo habuit : mox atque in illius animo exarsit beatum illud divinae Caritatis incendium, non potuit illud sinu suo continere, sed necesse habuit liberam illi pandere viam, cepitque fovere animo ardentissimum & insatiabile desiderium reducendi ad DEUM, quantum quidem in ipso erat, Mundum omnem. Neque tamen necesse est, me ea dere hic pluribus agere, cum jam spectaverimus illum tot lustris occupatissimum laboribus suis Apostolicis, idque cum tanto ipsius solatio ac gaudio, ut nunquam lætior videretur, quam quando amplius laborabat, sic ut dies illos cælestes appellaret : solebatque dicere, se quemcunque dierum ejusmodi quantacunque Monarchiâ non permutaturum. Mox atque destinati Sacris Excursionibus dies aderant, nihil planè erat, quod illi vel tantillam remoram posset injicere ; quantumvis non semel sub ipsum illud tempus magni momenti negotia distinerent : nec explicari fatis potest, quam ille mox atque è Collegiis prodibat, videretur alius à se ipso homo esse, se ipso major, toto habitu spirans Animarum & honoris DEI Zelum, animi alacritatem atque fervorem, sic ut planè divino Spiritu agi rapique videretur. Agendum illi plerumque erat cum hominibus rudibus ac inurbanis ;

banis: neque tamen unquam commercium cum iisdem fastidire ac nauseare visus est; sed semper simili modo affabilis ac comis, nullo discrimine agebat cum omnibus, adjuvabat omnes, serviebat omnibus, & paratissimum semper se præse ferebat, ad fundendum, quidquid venis claudebat sanguinis, pro cujuscunque salute. Testatur Sacerdos ejus Socius, pluries se ex illo audisse; si Cælum apertum conspexisset cum libero, quodocunque libuisset, eò intrandi comite, libenter tamen retracturum fuisse pedem, mansurumque inter Mortales ad laborandum Animarum causâ; excelsa hoc atque heroico actu præclarè imitatus S. Patriarcham suum Ignatium, quem ob hanc amoris excellentiam nemo prudens non vehementer suspicit.

§. LVI.

Rerum hujus Mundi contemptus.

PRæter has Mortalium Animas nihil quidquam ullius apud eum pretij erat. Sæpius objecerunt se ejus oculis illustres feminae, vestibibus magni pretij, gemmisque ad pompam exultæ. Tam parum abest ut ejusmodi spectacula eum ad se raperent, ut generoso potius contemptu animum inde altiora ad sensa attolleret, quæ Socio aliquando suo aperuit, cum dicto. O quàm gratum DEO Sacrificium Dominæ istæ facerent, si has quas tanti æstimant, nugas & crepundia amore ejus contemnerent, & relinquerent! Patrum aliquis, magnæ autoritatis, qui ipsi Romæ præfuit, hæc de ipso affirmat. Quàm animus viri avulsus esset ab omnibus, quæ Mundus æstimat, ignotum esse potest nemini, qui eum eo egit, intimiùsque illum novit: & ego